



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Brianti constantia, n. 33.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

1581. breuitas: : morti denique proximus, licetoris sanguinolentæ à *Campiani* carnificina manui osculum impressit, & *Iesu* Saluatoris nomen pientissimè repetens, beatam animam reddidit Creatori.

Brianti studia, & Constantia.

Concerta Ecclesie Anglicanæ.

Concerta Ecclesie Anglicanæ.

XXXIII. *Alexander Briantus* Somersétanus, post studia inferiora domini decursa, Philosophicis Oxonij, in Aula, quam à Cerui signo, Ceruinam vocant, operam dedit, *Richardo Holibao* co temporis Professore; qui cum discipulos ad fidem Catholicam, quam intus colebat, adhortaretur, hunc Rheinos præmisit; vbi ceteris imbutus, in patriam reuertit anno eius sæculi septuagesimo nono. Vtebatur deinde *Personio* familiarissimè, vt qui *Personij* Patrem ciuem suum in Ecclesiæ gremium reposerat. Captus in Aprili anni octogesimi primi, in Computorium primum traditus est fame cruciandus: Nam commentariensi in mandatis datum est, nihil vt ei cibi aut potus præberetur: iniiceret verò manus in quemcunq; qui ad eum salutandum alicunde accederet: Dierum itaque plurium inediam passus, mucidi tandem panis frustulum & pauculum casei conëcutus, sitim aquâ de tecto decedente, vel acida neglectaque ceruisia tolerabat. Nimirum dira crudelitatis administris id erat propositum, vt non mentis tantum robur, si quo modo poslent, infringerent, sed oris vultusque speciem corrumperent, quam iuuenis viginti octo annorum habebat perelegantem, indicem innocentis animi, atque ad mansuetudinem conciliandamque hilaritate gratiam conformatam. Cum verò frustra id fieri perentissent, motum ad arcem Londinensem, iam non fame solum ac siti, sed adactis acubus sub manuum pedumque vngibus excarnificant: Tum quoniam nihil hoc tormenti genere commotior, animo in Cælum suspenso, alacri vultu, Psalmum quinquagesimum pronuntiarat, neque quidquam de se fateretur, quicum, aut cuius sumptu vixisset? cuius excepisset confessiones? apud quem sacrosanctum sacrificium celebrasset? Aut de *Personio* (cui notum conieciabant ex loco in quo captus) vbi ageret? vbi prælum? vbi libri? qui venditi? qui vendendi superessent? Extensum in equuleo tantâ contentione conuellerunt, vt luxatis artuum compagibus omnibus, sine sensu, sine motu, mortuus iaceret. Sequenti tamen die rursus eidem admotum cruciamento atrocius lacerauit: Quo de præclaro facinore Nortonus quæstioni præfectus, cum se iactaret in aula, aiebat, pede à se longiorem factum esse *Briantum* quam cum Deus fecisset. Depositum deinde de equuleo, & vix hærentem nervis, demissum in foueam, quindecim diebus solitariū, sine lumine, in nuda humo reliquerunt; stupentibus ipsis tortoribus tantam inter acerbissimos cruciatus constantiam, tantam animi vultusque serenitatem; quanquam id etiam demonis artibus quam virtuti diuinitus acceptæ tribuere maluerit, antiquo Ethnicorum more.

Brianti literæ ad pp. societatis.

XXXIV. At vnde illa omnis alacritas atque robur profluxerit ipsum præstat audire narrantem ijs in literis quas ad Patres Societatis dedit è carcere paulò ante mortem. Nam posteaquam explicuisset quibus tenemur omnes vinculis ad Deum quærendum, illique nos offerendum in holocaustum; inueniri autem Deum vbi duo vel tres congregati essent in eius nomine; atque in huiusmodi congre-